

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Bellum ai  
cum fonte primo

Euidenter appetet nimium copiosos exercitus  
magis propria multitudine  
quam hostium uirtute depresso.  
Nam pluribus casibus subiacet amplior multitudo.  
In itineribus pro mole sua semper est tardior;  
in longiore autem agmine  
et iam a paucis superuentum adsolet pati.

Quod si casu acies uerterint tergum,  
necesse est multos cadere de multis et

ideo ueteres qui remedia  
difficultatum experimentis didicerant,  
non tam numerosos quam eruditos  
exercitus habere voluerunt.

Vegecius ibidem (de re militari libro III.) capitulo I.

Nam cum Xersis et Darii vel Mitridatis  
ceterorumque regum qui innumerabiles armaverant  
populos exempla releguntur,  
evidenter appetet nimium copiosos exercitus  
magis propria multitudine  
quam hostium virtute depresso.  
Nam pluribus casibus subiacet amplior multitudo.  
In itineribus pro mole sua semper est tardior;  
in longiore autem agmine  
etiam a paucis superventum adsolet pati;  
in locis autem asperis vel fluminibus transeundis  
propter impedimentorum moras saepe decipitur;  
praeterea ingenti labore numerosis animalibus  
equisque pabula colliguntur.  
Rei quoque frumentariae difficultas,  
quae in omni expeditione vitanda est,  
cito maiores fatigat exercitus.  
Nam quantolibet studio praepareatur annona,  
tanto matrius deficit quanto pluribus erogatur.  
Aqua denique ipsa nimiae multitudini  
aliquando vix sufficit.  
Quod si casu acies verterint tergum,  
necesse est multos cadere de multis et  
illos qui effugerint ut semel territos  
postea formidare conflictum.  
Veteres autem qui remedia  
difficultatum experimentis didicerant  
non tam numerosos quam eruditos armis  
exercitus habere voluerunt.

Publius Flavius Vegetius Renatus, *Epitoma rei militaris*, 3.1.4-8 (M.D. Reeve ed., pp.65-6, ll.16-28, 1-9).